

82. Hujus nos præscriptum secuti, totam doctrinam hujus diexodon, quinque Causarum complexu, nimirum Efficientis: Impellentis, Instrumentalis, Formalis & Finalis, commodissimè absolvi posse, habemus persuasissimum.

83. Ac efficiens quidem prima ac summa Iustificationis causa, sive αἰτιον κύριον, est DEVS, sive tota sacrosancta ac indivisa Trinitas operi tanto autor longè convenientissimus. Exod. 34, 7. Ies. 43, 25. Rom. 8, 33.

Causa efficiens summa:

84. Decebat enim, ut cuius fuerat ἡ πλάσις καὶ ἡ κτίσις, ejusdem etiam esset ἀνάπλασις & ἀνάκτισις, ut Iustinus Martyr & Philosophus piè admonet.

85. Hinc Effectus ipse ab autore suo denominatus, IVSTITIA DEI dicitur, quam ex fide in fidem sine lege revelari dicit Apostolus. Rom. 1, 17. &c. 3, 21.

86. Est autem hæc justitia legis, aut judicij: cuius proprium est, non condonare sed observare iniquitates. Psal. 130, 3. & 143, 2.

87. Neque etiam ea est justitia DEI hic intelligenda, qua ex Essentia sua, in sese DEVS justus est, imò ipsissima justitia, cuius inhabitatione hominem justificet: quemamodum impiè nugatus fuit Andreas Oslander.